DE TÆDIO DISSERTATIO INAUGURALIS ALOYSII FABRICI VENETI E VENETIIS

Luigi Fabrici

DE
TAEDIO
DISSERTATIO INAUGURALIS
Aloysii Fabrici

VENETI E VENETIIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII

HOC CITO PERITURUM

NON ITEM PERITURI AMORIS SIGNUM

FRATRI ET AMICO

A. D.

Quis nostrum loca illa ingressus, ubi multitudo ad animos recreandos convenit, theatra, spectacula, circos, aulas ad choreas cantusque paratas, dum ignorans vulgus manibus voceque plaudebat, sese quandoque vel amicum oscitantem, dormientem forsitan non animadvertit?—Quis de statu suo necessarium quemdam sciscitatus, responsum istud miserrimum aliquando non habuit: Taedio morior? Quis inter colloquia nocturnas per horas protracta, ab oscitantium pandiculantiumque circumdatus amicorum corona sibi et sodalibus aeternam illam quaestionem non posuit: Quo modo tempus teremus! Quis uno verbo, de die, tristis istius animi pathematis, cui *Taedium* nomen, quod *mortem animae* Poëta et philosophus quidam italus vocare non dubitavit, malos effectus vires omnes morales physicasque infringentes, non persensit, non deploravit?

29

Sufficiat rapide mente revolvere quantam partem in omni dolore, in omni gaudio etiam nostro sibi pestis ista animi vindicet. Primis usque ab annis, in gymnasiis, inter domesticos parietes, in jocis ipsis, pueri adolescentisque risum in senilem saepe commutat melancholiam; divitis inter exquisitas frustra, novis semper conatibus, voluptates, animum, veneni ad instar, pessumdat; regum potentiumque deliciis *vanitatum, afflictionis spiritus,* nomina imponit; non ultimum aegri per menses et annos in lectulo decumbentis tormentum, reique in carceris angustiis temporis jam annorumque obliti, maxima, procul dubio, et teterrima poenae pars.

Animi pathema, cujus tristes in physicam oeconomiam influxus, in pallore, qui puerorum puellarumque vultus de die magis afficit, in mala retardataque saepe corporis evolutione, (dum mens et animus praecocis exhibet intelligentiae et sentiendi facultatis signa), in illis per totam publicam privatamque vitam diffusis, languore, melancholia; in terribili denique psychico physicoque morbo *Splenis* nomine noto, ante oculos habemus, tanti ponderis esse existimavi et sensi ut quidquam, data occasione, de illo disserere non dubitarem. Utinam mihi, paucisque aliquantum parcat lectoribus, ut ego perficere, illi hoc quodcunque sit insomnes legere possint.

I.

Quas antiqui de hoc pathemate protulerunt philosophi vel medici, definitionibus, ut vana sterilique eruditione, relictis, si ad recentiores adgredimur, in permultis, quas pathologi et metaphysici exhibuere, definitionum loco poëticas potius descriptiones, obscuras inanesque preriphrases reperimus. Una sit pro multis exemplum.

L'ennui c'est une espèce de déplaisir qui n'est ni chagrin, ni tristesse; c'est une privation de tout plaisir, causée par, je ne sais quoi, dans nos organes, ou dans les objets de dehors, qui au lieu d'occuper notre âme, produit un malaise, ou degôut, au quel on ne peut s'accoutumer. L'ennui est le plus dangereux ennemi de notre être et le tombeau des passions; la douleur a quelque chose de moins accablant, parce que dans les intervalles, elle ramène le bonheur et l'espérance d'un meilleur état; en un mot, l'ennui est un mal si singulier si cruel, que l'homme entreprend souvent les travaux les plus pénibles, afin de s'épargner la peine d'en être tourmenté.

An ex hac ingenti verborum sententiarumque copia, qua tam saepe tam humiliter Jaucourt suam fassus est ignorantium, ideam hujusce pathematis haberemus exactam, nisi experientia jam, heu nimia forsan, nobis quid tae-

dium sit doceret? — Nos simplicium harum affectionum, quas omnes sentire, nullus forsan aptis verbis tradere valet, definitione Dictionariis, quae omnia definiunt, relicta, quasdam observationes circa Taedii principium proximamque causam, Philosophiae innixi auxiliis, instituemus — Et primo Taedium, duplici ratione nobis considerandum venit. Metaphysice dum Taedium in anima ipsa, in sensationibus et ideis, quae illius saepe causam constituunt, dum psychica tantum phaenomena, cum quibus ideae et sensationes illae consociantur, consideramus.

Physice — si materialem illam quae psychico influxui succedit plus minusve reconditam actionis nerveae perturbationem, si physicas omnes subsequas in vitalitate, organica mixtione et habitu externo modificationes perpendimus; et praesertim si physicas illas ex organisatione ipsa nervea dependentes, ut aliarum nervorum affectionum, sic Taedii quoque primitivas causas detegere tentamus.

Ambae hae rationes, strictissimo invicem nexu cohaerentes, medici philosophi, nec indigno fateor nec inutili omnino scopo, observationes requirunt.

II.

Principium Taedii, metaphysice considerati, sic Dubos exponit: Anima, inquit, ut cor-

pus, suas habet necessitates, et actio quidem inter omnes praecipua censenda. — Duabus autem rationibus anima agit: emotionibus et reflexione. Cum objecta externa sensationesque, quae ex his promanant et materiem, ut ita dicam, parant idearum combinationibus, reflexioni et deinde emotionibus variis, debito modo animae actioni non inserviant tunc ingratus ille animae status exoritur, somnus veluti corpore vigilanti, quem Taedium vocamus. — Primus animae facultatum exercendarum modus, emotio scilicet, facilior evadit, cum physica sensualique saepe delectatione conjunctus; et sic homines novas semper, totis viribus, in externis objectis, in immenso propriae phantasiae dominio emotiones quaerunt; sic populus circenses ut panem poscit, quia emotio in populo reflexioni praevalet: sic poësis amor, necessitas, sic fictarum desiderium historiarum explicantur.

Altera verum ratio, *reflexio* scilicet et *meditatio* ardua atque ingrata, nisi praesertim recentibus charisque emotionibus subsequa, aut comes sit, generatim evadit. Anima, hoc in casu, attentionis suae objectum immuni continuoque prosequitur conatu, qui inutilis plerumque, male saepe physica cerebri constitutione, cui psychicae operationes innituntur, respondente, inanem tantum sterilemque contentionem parit, imaginatio tum et memoria, debito magis excitatae, imperfecte sensationes, ideas,

vel idearum signa menti revocant, quae, nullo vinculo et ordine, tumultuose sese excipiunt — Intentioni protractae et excessivae, lassitudo succedit et tristis illa mentis dejectio et obscuratio, cui *taedium mentis* nomen dare liceat, animi quoque Taedio, et objectorum atque idearum, quae inutiliter animam occupare tentarunt, adversione accedentibus.

III.

Dum vero ratione magis medici propria, physica scilicet, Taedii principium, in ipsis actionis nerveae physicis modificationibus, inquirere, et constitutionem ipsam corpoream primarie saepe moralem hoc morbum determinantem investigare aggredimur, mens dubitat et veretur, ne in hoc quoque obscurissimo argumento metaphysicas subtilitates et vanas inanesque hypotheses, veritatis loco, amplectetur. Conanima haec potius ad verum detegendum quam ut veritas ipsa censenda. Ante omnia, verum, generalia quaedam ut clarior, quo fieri potest, de nervorum agendi ratione idea habeatur, de nerveis systematibus praemittenda existimamus.

Triplex, ex tribus praecipuis systematibus dependens, nervosa actio adnotatur.

Sensoria vel *physico-cerebralis*, a rerum externarum in organa sensuum incitamento dependens.

Intellectualis, a recondita relatione spiritum inter et substantiam ipsam nerveam producta et psyco-cerebralis etiam nomine designata.

Affectiva vel *ganglio-cerebralis*, quae in gangliis eorumque systemate, totum per corpus diffuso, locum habet, ex viscerali (1) incitamento pendens, seu ex psyco-cerebralis systematis actione, ratione recentiorum quorundam *reflexioni* analoga, (2) in ganglia diffusa. (3).

Ex triplici hac nervosa actione, prout unum vel aliud systema cum propriis incitamentis in relatione ponatur, sensationes, ideae earumque combinationes et emotiones demum habentur. Quomodo sensationes et ideae in emotiones transeant, particulari ratione explicari forsan posset, a *reflexione* recentiorum jam citata, non absimili; sed de hoc, data occasione ingenioque succurrente, alia alibi.

IV.

Actionis vero nerveae, ut omnibus compertum est, duo sunt elementa — incitabilitas et

---

(1) D. Cerises - des fonctions et des maladies nerveuses — Paris 1842.

(2) Müller, Marshall - hall; Valentin, etc.

(3) Tribus istis praecipuis *sensorio - motricem* seu *mesocephalo-spinalem* motibus voluntariis destinatam, et nervi sympathici obscuram adhuc actionem addendam censemus.

incitamenta. Duo quoque incitabilitatis factores, ut recentiores quidam Galli opinarunt, arteriosus scilicet et nerveus; quorum concursus *vasculo-medullarem* actionem, seu, ut barbaro certe nomine vocant, *Nevrositatem* (nevrosité) constituit — Hoc vasculo-medullare phaenomenon seu nevrositatem, quod incitabilitati Brownianae et innervationi quodammodo respondet, tum ex relatione duos inter factores a norma aberrante, unius vel alterius elementi, vascularis seu medullaris, influxu, tum pro incitamenrum vi et qualitate, variare posse nemo negat. De primitivis nevrositatis factorum alterationibus, cum de physicis Taedii causis sermo erit, loquemur; nunc de incitamentorum in vasculo medullarem actionem influxu aliquas tantum observationes instituere liceat. Et primo triplex genus incitamentorum habemus: rerum externarum stimulos in sensus agentes; internum gangliare incitamentum, ab affectivo in cerebrale etiam diffusum systema; et reconditum denique illum spiritus in materiem influxum. Prout haec incitamenta, propria actione, majori vel minori gradu, in uno vel altero vel in omnibus simul systematibus, hunc factorum duorum concursum, arteriosi scilicet et nervei ad vasculo-medullare phaenomenon producendum, determinare valeant, nervosae ipsius incitationis gradum adaugi aut imminui compertum est (1) et va-

(1) Augmentum hoc et diminutionem, barbaris vocibus, superincitationem et subincitationem Galli recentes adpellant.

ria quoque in unius aliusve, seu omnium systematum simul actione, augmento illi et imminutioni phaenomena respondere.

V.

Quae phaenomena, prout magis rei nostrae confert, in systemate affectivo considerantes, sequentia deducimus:

Ideae, quae per reflexionem, ut incitamenta in affectivum systema agentes, emotiones provocant, vel debita ac innormali ratione concursum istum arteriosi nerveique factoris, ad *nevrositatem* pariendam necessarium producere valent, et tunc mites tantum et placidas habemus emotiones, pro genere tamen idearum ipsarum diversas; mitem pacatumque amorem, omnes gratos adfectus minori tamen lenique gradu, cum amoeno illo boni status sensu animique satisfactione conjunctos.

Vel majori energia ideae in ganglia agunt et vehementiori stimulo amborum pariter factorum (qui in integritate organica, de cetero, ac physiologica inter se relatione semper considerantur) actionem adaugent, et tunc fortiores et sic dictos excitantes affectus habemus, pro genere semper idearum varios, gaudium doloremve internum, iram, amorem etc.

Vel debili et incongruo tantum, pro habitudinis legibus seu aliis de causis, incitamento agentes ideae vasculo-medullarem actionem

imperfecte determinant; et tunc ingratus quidam exoritur sensus, affectuum fere omnium, quos deprimentium nomine designant fundamentum sistens, Taedium, vel solum vel, pro vario idearum genere, cum moerore, tristitia, dejectione, inani et desperato desiderio, poenitentia, timore doloreque (1) conjunctum, quibus omnibus affectibus ita fit inseparabilis comes ut male ab illis sejunctum imaginari possit. (2).

Causam proximam ergo Taedii illius, quod ex psychicae causae primo promanat influxu, in debita relatione deficiente inter *nevrositatis* systematis adfectivi elementa, et imperfecte ideo vasculo-medullari actione determinata, ex debili et incongruo psychico incitamento, pendere non omnino rejicienda mihi videtur hypothesis, quam physicae quoque ad Taedium disponentes causae, ad hoc pathologicum ipsum principium conducentes, confirmare atque clariori sub luce ponere valebunt.

---

(1) Timorem et dolorem enim, si intensum attingant gradum, inter excitantes potius affectus recensendos credimus.

(2) Taedium minimum gradum animi doloris, ut pruritus doloris physici, sistit.

VI.

Et revera physicam primitus ad hocce pathema dispositionem considerantes, eam ex morbosis omnibus illis constitutionibus pendere observamus, in quibus relatio inter arteriosum nerveumque elementum primitive jam, unius vel alterius elementi vitio, pathologicaque conditione a norma deflectit; quod praesertim in morbis, qui ex systematis sanguiferi alteratione quadam dependunt, observandum occurrit. Sic dyscrasiis obnoxios, scrofulosos scilicet, scorbuticos, seu chlorosi laborantes maxime ad Taedium dispositos invenimus et ad illud, quod mihi adpellare liceat physicum Taedium, nullo quandoque morali remedio vincendum, utpote quod ex pathologica arteriosi principii conditione pendet, malum infensumque pathema, in morbum ipsum primarium male influens, cum moerore et animi dejectione conjunctum, quod si primis praesertim ab annis ingruat proprium in morali cuncta physicaque vita characterem imprimit et specialem physionomiae expressionem, ut facile individui ab istis adfecti morbis solo intuitu dignoscantur, tribuit. Dyscrasicos ad moerorem et melancholiam pronos omnes, cum Hippocrate, medici adnotarunt. Hanc physicam Taedii causam recentiores, antiquorum relictis hypothesibus, in sanguinis labefactati ad

innervationem inservientis incongruo vel deficiente incitamento collocarunt. (1).

Primitive hic, in Taedio scilicet physico, plerumque in vascularis systematis vitio morbosum inquirendum principium; in psychico vero Taedio, seu ex psychico dependente influxu in medullaris elementi recondita actione, primitivam semper et plane latentem perturbationem habemus. Incitabilitate vero, seu, ut nunc vocant, nevrositate, ex deficiente arteriosi elementi actione, perturbata, *superexcitationem* nerveam semper consequi, quae, ut Cerise opinatur, *ratione semper inversa sese habet cum arteriosi principii actionis intensitate*, non adhuc satis comprobatum credimus. Quod omnibus certe patet hoc est; nerveae procul dubio actionis perturbationem consequi, illa quae adfecti systematis nervei propria est ratione sese manifestantem. Pathologica haec in adfectivo sy-

(1) Etsi verum, in quibusdam individuis, sanguiferum systema nulla sit, in sua crasi, alteratione adfectum, cum tamen minorem evolutionis gradum, relate ad nervei adparatus evolutionem attingat, et consequenter arteriosum principium ad medullare *nevrositatis* elementum praedominans sustinendum impar sit, tunc, prout magis vel aliud nerveum systema discrepantia haec adficiat, variam habemus in morales, sic dictos morbos dispositionem: mentis versatilitatem, mobilitatem, imbecillitatem, etc. si cerebrale adficiat systema; si adfectivum vero, Taedium, melancholiam, attritionem etc.

stemate conditio, ingratis tristibusque emotionibus proditur, cum physicis illis phaenomenis conjunctis, quae istiusmodi pathologicae conditionis propria, deprimentium adfectuum nomen emotionibus istis conscivere. Quas inter, primum veluti omnium, ut diximus, deprimentium adfectuum, fundamentum, locum obtinet Taedium, cujus formam in illius sub nomine *Splenis* jam cogniti morbi descriptione, utpote quae nobis pathema hocce ad maximum gradum elatum, et super omnia vitamque ipsam diffusum praebet, exhibere, operae pretium arbitramur.

VII.

Cum ergo Taedium majorem attingat gradum et super omnia, quae antea chara et desiderabilia videbantur, super vitam ipsam aliquando extendatur, eo modo, ut tunc in veram melancholiam (1) et monomaniam, proprie *suicidam* dictam, rarius tamen in vesanias aliosque mentis morbos abeat, tunc graves vero in physica oeconomia turbas excitet, morbum illum constituit, quem veteres *Taedium vitae,*

(1) Morbus tamen de quo loquimur a melancholia distinguendus; in illa enim moeror, in hoc Taedium est praedominans pathema; frequentiores etiam in melancholia mentis et judicii errores et frequentior in maniam exitus.

recentiores cum anglis *Spleen*, seu greco-latina voce *Splen*, quae ambo latinum *Lien* sonant, adpellarunt.

Illius causae, Louyer Villermay auctore, modo morales sunt, in idearum nempe influxu positae, quae cum tristibus consociari solent pathematibus, potius quam vehementi tamen rapidaque actione, continua illa et habituali sensim sensimque ipsam modificat adfectivi systematis *innervationem* modo physicae, veluti omnes, qui in gangliare systema influxum exerunt morbi, abdominales praecipue, aut qui crasim et circuitum sanguinis alterant; sed de hoc plura, cum de Taedii causis sermo erit.

In individuo, qui ab isto miserrimo afficitur morbo, silentium jam et in solitarias meditationes dispositio pathematis ipsius invasionem patefaciunt. Tunc animi aeger colloquia et conversationes vel cunctas evitat vel tacitum, triste et male sodalium laetitiae respondentem adspectum, in aulis, in conviviis praesefert. — Nullus in ore ejus risus, vel si adest, non laetitiae sed contemptionis est risus, irrisio potius — Illum forsan adhuc, urbanos socialesque indignatum rumores aliqua consolatio manet: amicus, amor, quies agrestis, poësis musices. O felix, si concessa sint, et aegro aridoque cordi satisfaciant! — Sed plerumque post aliquid temporis, ideis illis tristibus de die magis recurrentibus, physica forsan pathologica conditione accedente, nec

amicus pro aegro illo animo suadentia invenit verba, quies agrestis in melancholicam aridamque solitudinem commutatur; amor vel in effraenem libidinem, quae tristiorem postea inanemque relinquit animum, vel in miseram abit deceptionem; musice vel tristes illos alit affectus vel pro tempore animum excitat in profundiorem paulo post recasurum dejectionem. Poësis ipsa aut plane deficit aut subjectiva tantum in miseras et monotonas lamentationes effunditur, atris omnia pingens coloribus, nunc desperationis fit clamor, nunc derelicti et resignati animi quaerula vox.

Et multa et pretiosa etiam litterarum monumenta huic infelici animi conditioni tribuenda; ultimae quandoque animae desperantis voces, in qua paulo post poësis, cum vita forsan, exstinguebatur; — ipsa tum deficiente amicitia, amoris, poësis, musices subsidiis rejectis, quid aliud miserrimis remanet, nisi inoperosa et languens vita, qua aegri vanis tantum meditationibus incumbentes de aeternis conqueruntur horis, lapsum, stulta inconsequentia, tempus deplorant, pro venturo vana tantum et cito moritura desideria, immo somnia cumulant, et sic in morosam saepe senectutem, sibi aliisque gravem properant; homines aliquando, frequentius immo, cui potens natura dederat ingenium, bene saepe de litteris, de scientiis meriti — Obermann sit, sit Zimmermann pro multis exemplum. — Alii verum longis itineribus, novo pe-

tunt climati, raro tamen bono cum effectu, animi aegrotantis medelam; alii, de se, de societate omnino desperantes, in veram saepe delapsi monomaniam, violenta manu tristissimae vitae finem imponunt.

Aegrum facile ab incerto lentoque incessu, a melancholico immobilique intuitu, a meditabundo, apathico tristique physionomiae adspectu dignosces. — Functiones omnes tarde succedunt — male digestio, male chylificatio et nutritio eveniunt — lentior respiratio, pulsus quoque lenti et debiles. — Aeger quandoque in atrophiam in marasmum tendit. Sensus in epigastrio levis ponderis et oppressionis cujusdam adest, qui saepe, oscitationibus repetitis, singultu vel fletu supervenientibus imminuitur. Si juvenilibus morbus ingruat annis, imperfecta et mala evolutio, virilitatis saepe deficientibus signis, habetur. Menstruatio in mulieribus nunc inordinata et parcior observatur, nunc illius vice, habitualis subvenit leucorrhoea; senectus denique praecox, tristi malorum stipata cohorte, succedit. Defunctorum autopsia in intestinis, in hepate et splene quoque, latentes phlogoses, desorganisationibus manifestis saepe accedentibus, detexit.

VIII.

Paucis de Taedii pathologico principio, non sine dubio pathologorum philosophorumque

judicio subjectis, illius ad gradum jam moralis et physici morbi evecti forma utcumque determinata, nunc aliqua circa disponentes causas addenda remanent.

Causis ergo, quae ex physica pendent constitutione, de quibus mentionem antea fecimus, (1) morales innumerae ab educatione, vitae genere, habitudinibus, socialibus etiam relationibus dependentes accedunt. Systema illud nerveum, quod majori prae ceteris intensiorique agit exercitio, majorem in aliorum damnum, suscipere evolutionem, veluti physiologicum habendum axioma. Quo magis ergo psychicum — cerebrale, educatione in hoc praesertim directa, evolutum, eo magis adfectivum languens, primoque ut ita dicam subjectum subordinatum, parcis moderatisque incitamentis sustineri poterit. Sic animi aequalitas, quam in antiquis et modernis quibusdam miramur philosophis, apathia illa, quae Indicae gentis meditabundae characterem sistit, immobilitas et silentium Joghi per horas, per diem quandoque, profunda detenti meditatione explicantur.

(1) Illis tamen, quos supra adnotavimus, praemultos, ut hujusce affectionis causas, morbos addendos, vel recondita tantum et morali vel physica prorsus actione *nevrositatem* adficientes, e. g. plures sic dictae nevroses, morbi organici cordis vasorumque majorum, abdominalium viscerum morbi, haemorrhoidum vel catameniorum suppressio etc. .....

Si puer, e contrario primis usque ab annis, a Romanticorum illecebris et commentis, futilibus histrionum figmentis, ipsius excitatae phantasiae dilectis voluptuosisque somniis allicitus, fortioribus exquisitisque emotionibus animum potius, quam mentem exactis utilibusque ideis, adimpleat, quid exinde expectandum?

Nova, semper, annis, novis cum ideis et necessitatibus, accedentibus, et fortiora sitiens incitamenta, evolutioni systematis ipsius respondentia, non nisi debiles tantum, solitas et habitudinis jam legibus retusas emotiones inveniet, cum terribili illo miserrimoque consociatas pathemate, Taedio —

Infensissima haec omnium educatio, quae nobis adolescentibus idealem realique nunquam respondentem vitam fingit, illud scilicet juvenilium annorum somnium, quo una tantum nervea actio praedominat, emotio; ex quo semel excitatos inane et desperatum futuri, quod roseo phantasia pinxit colore, desiderium, vitaeque illius, quae votis male respondet, Taedium inexorabile manent.

Cui et aliud educationis addendum vitium, finis scilicet actionum meditationumque dignioris certiorisque mentem simul et animum explentis defectus — An futiles illi illusoriique fines, qui nos continuo alliciunt, deceptisque continuo e manu effugiunt, mentem veritatem, animum felicitatem sitientem satisfacere valent?

Mentem veritatem incessanter quaerere, animum amare fatum est; quid si mens continuo illusa fictiones prosequi, animus deceptus semper vanitates et umbras amplecti sentiat? (1) Quibus causis otiosum et molle vitae genus accedit. Quinam etenim magis de Taedio conqueritur? Nonne dives, nonne desidiodus, qui, nec sibi nec aliis utilis, dies futilibus carpit oblectationibus, ludis, amoenis, ut vocant, lectitationibus stultaque similium suorum conversatione, puer semper, donec in morosum Taedioque consumptum senem mutetur. An, qui labori cuidam praesertim mechanica corporis addita cooperatione, animum intendit, (quin de inculta illa et misera societatis parte loquamur, cui immani protractoque labore locum Taedio non concedente, delassatio, dolor, egestas pro Taedio sunt), qui artibus ex. g. liberalibus operam dat, seu naturales colit scientias, geognosta, botanicus, zoologus facile hac

---

(1) Hegel, Marheineke, Strauss, Fourier recentesque plures philosophos, injectis super omnes, quae ex experientia intimo sensu et auctoritate manabant convictiones, dubiis, subtilibus obscurisque argumentorum simulacris, seu sensuales instinctus foventibus, allicientibus somniis, fidentis illusaeque juventutis vitam inter dubia animique dejectionem, vanis semper in veritatem conatibus reluctantem, veneni ad instar pessumdare, jam in Germanicis quibusdam regionibus tristis experientia docet. —

teterrima animi peste corripitur? Aliquae, inter innumeras, nota dignae videntur morales causae, quae primis ab annis, lento continuoque in adfectivum systema influxu agentes, toti saepe vitae indelebilem characterem imponunt; nimii scilicet in educatione rigores, humiliationes, contradictiones, injuriae, immerito praesertim sublatae, afflictio, pudor, ex turpi vel adparente horrida deformatione morbo; vilis et ignotae originis, ut in expositis infantibus, obbrobrium; parentum amoris, propinquorum saepe etiam amicitiae auxiliique, ut in orphanis videre est, defectus; inutiles in studia quaedam, Minerva invita, conatus; deceptus desperatusque, annis accedentibus, amor; denique, quod physico-morales potius causas spectat, Veneris usus praecox et abusus, onanismum etc.

IX.

Non semper causas amovere, quae hoc pathema ingenerare possunt, medico conceditur. — Permultae vel societatis ipsius jam sancitis legibus inhaerent; inevitabiles permultae, stulta plurimae cura studioque habitae, ignoratae vel tarde tantum detectae innumerae, philosophi saepe quam medici opem postulantes. Nec, priusquam physicus jam patefiat morbus, seu illum animi pathema gradum adtingat, ut tales turbas in physica concitet oeconomia, quas medicorum vulgus vindicet dominio, me-

dici auxilium exposcunt, qui amicos ipsos evitant, qui in semetipsis parum et in hominibus confidunt infirmi. Non sine justo tamen judicio, parum enim hucusque, nisi ex aegro salus veniat, in hujusmodi morbis ex ope medica sperandum.

Innumera remedia, sic dicta psychica, recensentur — Per amoenas regiones itinera, artium cultura, corporis exercitia laudantur. Sed, heu, saepe atra illa cura, cum semel in mortalium animum obrepsit, ubique, post tergum equitis, ad navigantis latus assidua, inexorabilis sedet. — Tunc plerumque penicillum, scalpellum, de manu pertaesi delassatique artistae procidunt, seu dejecti desperantisque animi monumenta inscientis nec compatientis saeculi inani sterilique admirationi concedunt.

Tunc solum si physicus pateat morbus, qui ut pathematis hujus origo haberi possit, aliquod in medico confidendum auxilio. Morbosa enim conditione ablata, saepe pathema ipsum devincitur, facilius si morali tantum nexu cum morbo cohaereat, difficilius sane, si in ipsa morbi pathologica conditione, seu in morboso ipso habitu, causam attingat; ut in scrofula, scorbuto, arthritide aliisque, sic dictis, dyscrasiis observandum.

Has physicas et morales, quousque liceat, causas investigare, amovere; effectus, omnibus, quae scientia praebet, subsiidis, mitigare, devincere, abigere medici est.

Educationis, socialium institutionum, quae hanc animi pestem alere et diffundere, in diem magis, valent, praejudicia et vitia detegere, perpendere, apta ostendere remedia philosophi.

Optimus de cetero et unus saepissime medicus aeger.

Theses Defendendae

I.

Somnus in quibusdam morbis infensus.

II.

Motus in somno intro vergunt. Hipp.

III.

Quo minus cerebrale systema evolutum, eo major, ceteris paribus, somni necessitas.

IV.

Somnus nimis protractus frequens nevrosium causa.

V.

Aegri decubitus in somno observandus.

VI.

Somnus algentibus saepe lethalis.

VII.

Musculi flexores extensoribus praevalent.

VIII.

Respiratio inferior in hominibus, superior in feminis praedominat.

IX.

Optimum in scrofulis aqua marina remedium.